DE EXTREMÆ VNCTIONIS SACRAMENTO

Theses Theologicæ, 13. Cal. Octo: Christo duce & auspice, in Academia Ingolstadiana multò celeberrima, publicè disputandæ.

ECCLESIASTICI 40.

Iugum graue super filios Adam à die exitus de uentre matris eorum, usq; ad diem sepulturæ in matrem omnium. At iugum computrescit à facie olei. Esaiæ 10.



Ex Typographica Vueissenhorniorum Officina. Anno 1565.

DE EXTREMA VNCTIONE THESIS.



Concil. Constan Flor: Triden: Innocentius 1. Epi ad dece. Episc. d. 95.c.illud.

I.

XTREMA VNctio non est humanum inuentum, nō ociosa cæremonia, non ritus tantùm à Patribus acceptus, non gratia curationis, sed uerum & proprium noui testamenti Sacramentum, à Christo domino institutum, & à B. Apostolo Iacobo promulgatum.

II.

Concil: Flor: Tridentin:

Ea, uti reliqua legis Euangelicæ Sacramenta, rebus, quæ materiæ, et uerbis, quæ formæ locum subeunt, οὐσιωδῶς absoluitur.

III.

Cap.6. cap.5. Conc.Flor. Trid. Innoc.1. Innoc.3. Clem.li. 8.ca.26. Beda in 6.cap. Marci.

Materia, ut D. Marcus insinuat, & frater Domini, in sua Canonica non obscurè docet, & perpetua Ecclesiæ traditio, per manus accepta, disertè confirmat, est oleum Pontificali benedictione consecratum.

IIII.

Conc. Flor: Trid.

Forma uerò, sacris & œcumenicis Synodis decernentibus, est hæc. Per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid peccasti per uisum, auditum &c.

V.

Florent: Triden.

In idem ferè altera illa (ungo hos oculos oleo sacrato &c.) si uim tantùm Sacramenti, & ἐνέργειαν spectemus, quibusdam recidere uidetur. Attamen, quòd prior illa Apostolicæ scripturæ, sacrorúmq; Conciliorum declarationi multò cognatior habeatur, parum consultè, ne quid grauius dicam faceret, qui uel alia forma, uel alio etiam ritu, quàm Ecclesia Romana, quæ meritò aliarum omnium & mater & magistra ab omnibus doctis & orthodoxis semper est iudicata, uti consueuit, hoc sanctum unctionis Symbolum administraret.

VI. Primarius

VI.

Primarius huius Sacramenti effectus, non est scelerum lethalium, aut quorumlibet aliorum peccatorum, uel pœnarum, quibuscunq; noxis debitarum, abolitio. Conc. Trident.

VII.

Facit nihilominus ex consequenti, & quasi per accidens hoc ipsum quoq; Signum ad hæc omnia: Nam cum gratiam, ut alia nouæ legis Sacramenta, conferat, propensos ad malum animos, in officio continet, & ad pietatis studium inflammat, meritas quoq; pœnas, si quæ forsan adhuc luendæ supersunt, piè susceptum, non mediocriter commitigat: denum peccata obliuioni contradita, uel iusto animi dolore necdum obliterata, haud dubio euentu è medio profligat. Atq; huc Apostolus: Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei, non modo alludit, sed ipsa etiam forma Sacramentalis manifestè idipsum comprobat atq; conuincit. Conc. Flor. Trid. Chrys. li. 3. ca. 6. de dign. Sacerd. Cap. 5.

VIII.

Quamobrem S. Patrum doctrinæ, summiq; Iudicis æquitati quàm maximè consentaneum arbitramur, plerósq; mysticæ huius Inunctionis beneficio paßim seruari, qui certißimam alioqui damnationis sententiam erant incursuri: huiusmodi sanè sunt omnes illi & singuli, quos Sacramentum hoc suapte ui & natura, ex attritis contritos, gloriæq; capessendæ facit idoneos.

IX.

Est autem præcipuum sacrosanctæ cæremoniæ huius effectum, firmißimum quoddam diuinæ gratiæ præsidium, à Christo Redemptore nostro clementißimo, & salutis nostræ quouis tempore studiosißimo, ad animi constantiam, aduersus ultimæ tentationis & ægritudinis, atq; adeò aduersus acutißimos mortis ipsius aculeos benignißimè collatū: ita nimirū ut animus ægrotantis diuino isthoc cœlestiq; dono, tanq̃ solidißimis quibusdā radicibus nixus et cōmunitus, neq; ægritudinis magnitudine frangatur, neq; acerrima dæmonis calcaneo uel maximè iam tum insidiantis, & oēs uersutiæ suæ neruos, ad perdendas animas, & à diuina misericordia deturbandas intendentis, infestatione turbetur, neq; criminum præteritorum recordatione, aut diuini iudicij consideratione deijciatur mergatúrq;, sed in quadam spiritus hilaritate, & tranquillitate, diuinæq; miserationis expectatione, immotè consistat, constanterq; perseueret. Conc. Flor. Trid. Bern. in vita Malachiæ. Chrys. lib. 3. c. 6. de dig. Sac. Conc. Trident.

X.

Mirificum hunc diuinißimúmq; Extremæ unctionis fructum, nomine sanationis reliquiarum seu cicatricum, ex peccatorum uulneribus relictarum Maiores nostri appellandum censuerunt: Nec id quidem immeritò: In con-

fesso námq; est, præter uirium animalium deiectionem, uehementem illam animam agentium trepidationem, ex conscientiæ stimulis, actorúmq; scelerum memoria, & diuinæ seueritatis animaduersione potissimum prouenire.

XI.

Conc. Flor: Trid: Tertullian. lib. ad Scapu. August. lib. 2. cap. 4. de visit. infirm.

Proximus porro minúsq; principalis sacræ Inunctionis huius, inter alios effectus, est specialis quidam, idémq; certus & indubitatus diuinæ clementiæ, ad qualemcúnq; decumbentis alleuiationem, & nonnunquam etiam, ad integram uirium collapsarum instaurationem, concursus: Atq; isthuc ipsum non solùm Canonica D. Iacobi apertè docet, uerùm etiam usu, certóq; rerum euentu, sæpenumerò in multis compertum est.

Cap. 5.

XII.

Conc. Trident.

Pessimè itaq; saluti suæ consulere conuincuntur, qui saluberrimum hoc, & aduersus omnia omnium hostium et infestationum tela, efficacissimum remedium, uel omittunt penitus, uel multò quam par erat, seriùs suscipiunt.

XIII.

Immo uerò, ne ulla hic circuitione utamur, sed quod res ipsa loquitur, libera uoce in medium proferamus. si qui comperiuntur, comperiuntur autem hoc infœlici seculo quàm plurimi, qui in manifesto uitæ discrimine constituti, & à Medicis, uel à uiris alioqui cordatis, imminentis periculi amicè admoniti, & commodam Sacramenti huius suscipiendi occasionem nacti, suscipere non uolunt, illiusmodi, præter manifestam in Deum Opt: Max: ingratitudinem, & pudendam salutis suæ incuriam, hoc ipso liquidò declarant, se uel γλυκυπίκρῳ illo sectariorum calice inebriatos, & Ecclesiastica proinde sepultura omnino indignos, uel fœda aliqua superstitionum illuuie contaminatos, uel certè perniciosa rerum ignoratione turpetur excæcatos, ut qui diuinissimam huius Sacramenti uirtutem, uel non credant, uel non intelligant, uel ex re longè saluberrima periculum & incommodum sibi metuant.

XIIII.

Sed neq; optimè Curiones illi, & Ecclesiarum Pastores suo munere funguntur, qui cùm apertissimis indicijs deprehendant, ægrum in euidenti uitæ periculo constitutum, non solùm tamen ad diuini huius medicaminis usum non hortantur, bonisq; rationibus: ut debuerant, inducere satagunt, uerùm etiam precibus, præsertim si quem contagiosius laborare contigerit, ad eius ministerium, uix sese compelli sinunt: digni profectò, in quorum negligentiam in utroq; foro quàm seuerissimè animaduertatur.

XV.

Veruntamen, ne cui scrupulus, aut etiam error quispiam, ex hac explicatione

tione inijciatur, ingenuè fatemur, Sacramentum hoc, etiamsi ingentis existat utilitatis, nulli tamen, modo sacrilegus, & Spirituisancto iniurius contemptus desit, simpliciter & absolutè ad salutem esse necessarium: Nam & gratiam, quæ per se sanat ac beat, ut non indignè recipiatur, supponere ferè solet, & tempore præterea Ecclesiastici interdicti administrari non debet, & tamen Ecclesia nemini unquam Sacramentum aliquod absolutè ad salutem necessarium, hactenus denegasse comperta est.

C. Alma mater. de se:ex:et cap. permittimus. et c. Non est de spon: et matri: & cap. quod in te, de pœn: & re.

XVI.

Cæterùm, quod ad eos, quibus salutifero hoc remedio Ecclesia opem ferre solet et debet, attinet, cum sanctum hoc pœnitentiæ totiusque uitæ Christianæ consummatiuũ mysterium, ad peccatorum reliquias submouendas, ad sensum fusè superius ac nobis expositum, à Seruatore nostro potißimùm sit institutum, manifestum euadit, perpetua, iam inde ab ineunte ætate Μανίᾳ agitatis, perinde atque pueris, rationis usuram nondum adeptis, minimè exhibendum esse: quippe in quibus omnino nihil comperi posse uideatur, quod sacri huius pharmaci uirtute, queat expiari. Conc. Trident.

XVII.

Attamen, si qui ualetudinis uitio, ex sana mente in insaniam dirámue phrenesin uersi, publicè furerent, illiusmodi, nisi ante rationis lucem amissam, parum ὀρθοδόξως sensissent, aut se nolle recipere coram protestati forent, etiam inuitos & obluctantes, salua semper Sacramenti reuerentia, inungendos censemus.

XVIII.

Rursum, cum idem hic ritus, citra gratiam, uitæque spiritalis sensum, dignè, ut modò dicebamus, recipi non ualeat: corpúsque lethaliter affectum requirat, palam fit, neque in scelere quocunque obstinatis: neque leui aliqua ægritudine laborantibus: multò uero minus sanis, tametsi ad supplicium capitale damnatis, aut grauibus quibuscunque tempestatibus, uitæque procellis expositis, ad salutem conferri posse.

XIX.

Est autem salutifero hoc ἀλεξιφαρμάκῳ ijs maximè opitulandum, qui morbi uiolentia prope iam prostrati, humanóque præsidio magna iam ex parte destituti, proximè ad uitæ exitum accedere uidentur: Atque hoc ipsum non tám uoces illæ Apostolicæ τό, τε ἀσθενεῖ, καὶ τὸ κάμνοντα, καὶ τὸ ἐγερεῖ. si earum τὸ γνήσιον meditatè expendas, præ se ferunt, quàm uniuersalis Ecclesiæ Catholicæ praxis obtinet, usúsque confirmat. Conc. Flor: Triß. Cap. 5.

 XX. Fatemur

XX.

Fatemur interim non nimium hic esse cunctandum, sed tempestiuè, dum rationis uires adhuc integræ uigent, cœleste hoc medicamentum esse adhibendum: Nam si in alterutra parte nonnullus forte error foret admittendus, longè satius fuerit tempus antecapere, quàm æquo tardius, ut dum anima in primoribus labris iam luctatur, ad hoc demum remedium confugere.

XXI.

At uerò, quod ad eas corporis partes, quas inungi oportet, spectat, nullum planè uidetur operæprecium, ut omnia & singula membra sacro Oleo liniantur: Esto omnia & singula in patrandis criminibus operam suam contulerint, morbiq; uiolentia prostrata iacuerint, sed, salua semper ratáq; uniuscuiusq; Ecclesiæ consuetudine, abundè satis fore iudicamus, si potiora, & quæ animi morbo occasio præcipua extiterunt, perungantur.

XXII.

Vnde inunctio renum, tametsi quibusdam in locis, διὰ τὸ ἐπιθυμητικόν, & pedum, διὰ τὸ ἐνεργητικόν usurpetur, & in Concilio Florentino inter cæteras corporis partes, quæ deliniuntur, connumretur, nullo tamen modo de substantia Sacramenti esse putatur.

In decret. ad Armenos.

XXIII.

De integritate autem, & absoluta Sacramenti necessitate est, ut omnes & singuli sensus exteriores, uel eorum organa perungantur, ut qui soli primæ & præcipuæ morborum ac malorum omnium spiritalium radices atq; origines extiterunt. Ex his namq; quicquid usq̃ in quacunq; appetitione comperitur, ueluti ex uberrimo quodam fonte dimanare atq; proscaturire pro certissimo tenetur.

Conc.Flor: Trid.

XXIIII.

Quarè si una tantùm aut altera inunctione absoluta, ægrum, aut ministrum è uiuis discedere contingeret, Sacramentum non perficeretur, ministri tamen uicem, alius, si quis fortè idoneus adesset, explere posset.

XXV.

Administri huius Sacramenti non sunt Diaconi, aut quicunq; alij ex clericorum albo, Diaconis inferiores, multo uerò minus primores in populo, aut ætate seniores, sed soli Sacerdotes Ecclesiæ, per impositionem manuum presbyterij, ab Episcopis ritè ordinati. Vnde sacra & œcumenica Synodus Tridentina: Si quis dixerit presbyteros, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopis ordinatos, sed ætate seniores in quacúnq; communitate, ob idq; proprium Extremæ unctionis ministrum, non esse solum Sacerdotem, anathema sit.

Cõc.Flo. Alex.3. cap. quæsiuit de verb.signi.

Iacob.5.

Neq;

XXVI.

Neq; tamen cuiuis Sacerdoti iure ministerium hoc competit, sed, extrema necessitate seclusa, ijs duntaxat, qui uel ordinariæ, uel saltem delegatæ potiuntur iurisdictionis potestate. c. Interdicimus 16. q. 1. & c. religiosi de pri.

XXVII.

Deniq;, cum hoc Extremæ unctionis Symbolum characterem non imprimat, neq; effectum aliquem perpetuum & constantem in suscipiente producat, fit, ut sæpius eidem conferre liceat. Attamen si idem morbus, idémq; morbi status omnino perseueret, ritè semel collatum, repeti non debet.

XXVIII.

Porrò cæremoniæ & precationes, quæ in solenni Sacramenti huius administratione, pro cuiusq; diœcéseως consuetudine adhiberi consueuerunt, eæ, si præsentaneum aliquod discrimen ex mora ægroto impenderet, tutò poterunt omitti, uerùm citra eiusmodi periculum nullo modo debent neglectui haberi, multo uerò minus contemni, aut in alias quascunq;, pro cuiusq; arbitratu, commutari. Conc. Trident.

LAVS DEO.

ἀνάθημα ἀδέσποτον.

Θεσπέσιον χρίσεως ταύτης μένος, ὅσαν ἔθνησκον,
ἠλείφθην, ὑγιὴς κἄνθορον οἰακράτων.

PRÆSIDE R. P. THEODORO Peltano, Doctore Theologo, ad has, de Extrema vnctione Theses, respondebit Petrus Damianus Macherentinus, Artium liberalium Magister, & SS. Theologiæ studiosus.

XX.

Fatemur interim non nimium hic esse cunctandum, sed tempestiuè, dum rationis uires adhuc integræ uigent, cœleste hoc medicamentum esse adhibendum: Nam si in alterutra parte nonnullus forte error foret admittendus, longè satius fuerit tempus antecapere, quàm æquo tardius, ut dum anima in primoribus labris iam luctatur, ad hoc demum remedium confugere.

XXI.

At uerò, quod ad eas corporis partes, quas inungi oportet, spectat, nullum planè uidetur operæprecium, ut omnia & singula membra sacro Oleo liniantur: Esto omnia & singula in patrandis criminibus operam suam contulerint, morbiq; uiolentia prostrata iacuerint, sed, salua semper rataq; uniuscuiusq; Ecclesiæ consuetudine, abundè satis fore iudicamus, si potiora, & quæ animi morbo occasio præcipua extiterunt, perungantur.

XXII.

In decret. ad Armenos. *Vnde inunctio renum, tametsi quibusdam in locis, διὰ τὸ ἐπιθυμητικὸν, & pedum, διὰ τὸ ἐνεργητικὸν usurpetur, & in Concilio Florentino inter cæteras corporis partes, quæ deliniuntur, connumretur, nullo tamen modo de substantia Sacramenti esse putatur.*

XXIII.

Conc. Flor: Trid. *De integritate autem, & absoluta Sacramenti necessitate est, ut omnes & singuli sensus exteriores, uel eorum organa perungantur, ut qui soli primæ & præcipuæ morborum ac malorum omnium spiritalium radices atq; origines extiterunt. Ex his namq; quicquid usq̃ in quacunq; appetitione comperitur, uelut ex uberrimo quodam fonte dimanare atq; proscaturire pro certissimo tenetur.*

XXIIII.

Quarè si una tantùm aut altera inunctione absoluta, ægrum, aut ministrum è uiuis discedere contingeret, Sacramentum non perficeretur, ministri tamen uicem, alius, si quis fortè idoneus adesset, explere posset.

XXV.

Cōc. Flo. Alex. 3. cap. quæsiuit de verb. sign. *Administri huius Sacramenti non sunt Diaconi, aut quicunq; alij ex clericorum albo, Diaconis inferiores, multo uerò minus primores in populo, aut ætate seniores, sed soli Sacerdotes Ecclesiæ, per impositionem manuum presbyterij, ab Episcopis ritè ordinati. Vnde sacra & œcumenica Synodus* Iacob. 5. *Tridentina: Si quis dixerit presbyteros, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopis ordinatos, sed ætate seniores in quacunq; communitate, ob idq; proprium Extremæ unctionis ministrum, non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Neq;